



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

4. Sermo de Aedificatione Domus Sapientiae quomodo sit futurus
fructuosus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS IV.

SERMO DE ÆDIFICATIONE

Domus Sapientiæ quomodo sit futurus fructuosus.

SERMONIS hujus de ædificando in se Domum DEI quæ eadem est Sapientiæ, fructus erit multiplex; imprimis si Adolentes, quæ audiverunt, ad mentem sapius referant, & ad manum, sive ad usum: nam quæcumque dicta sunt, utilia iis erunt, si ad usum referantur, sicut gladius, si e vagina educatur, cum illius est usus, ac usurpetur. Deinde, si vt renovarunt studia litterarum, ita restaurent Virtutum, ac Pietatis Christianæ. Præterea, si, quo sunt adfectu, & ardore ad novos novæ Scholæ labores, eundem indefessi conferant ad cultum diuinum studiumque. Denique si eo tendant omnes ut Animam quisque suam transformet in Templum DEI vivi, ac Domum Sapientiæ. Quod fiet, si in eâ fabricam erexerit, non minus Virtutum, quam Scientiarum: nam ex iis constat *Domus Sapientiæ*. Quod cum non sit opus humanarum viriû: nam, *Nisi Dominus Ædificaverit hanc Domum, frustra laborant, qui ædificant eam*: advocandus est in auxilium Princeps Architectus, Deus, seu *Sapientia æterna*: invocandus non tantum semel, sed sapissimè: non solum initio studiorum, sed etiam in medio ac fine; non tantum modò mane, sed & meridie, ac vesperi: invocandus interdum ac nocte. Advocatur autem, & si debite advocetur, propitius advenit, & opus inchoat, ac consummat: advocatur, dico clarissimè, ac simplicissimè, Oratione, Confessione, & Communionem sacrâ.

QUÆ si à vobis frequentata fuerint, vt oportet, addico, & vobis spondeo, tum hoc studiorum initio, tum
 toti-

ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 27

totius anni decursu favorem Omnipotentis. Qui benedicat vobis, quod enixissimè precor *benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum*; benedictionibus ignis, benedictionibus aëris, benedictionibus aquæ, benedictionibus terræ, benedictionibus corporis, benedictionibus animi. Ut sitis benedicti totaliter in omnibus membris, sensibus, potentiis: benedicti in oculis, auribus, naribus, manibus, lingua: benedicti in intellectu, benedicti in voluntate, benedicti in memoria: benedicti ubique, benedicti domi, benedicti foris, benedicti in museo, benedicti in scholis, benedicti in templo. Benedicti in officiis omnibus & actionibus, benedicti in addiscendis lectionibus, benedicti in scriptionib⁹, benedicti in disputationibus: benedicti in excogitando, benedicti in perorando, benedicti in agendo: denique, benedicti in principio, benedicti in medio, benedicti in fine. Ter benedicti, & pleni benedictionibus DEI PATRIS & FILII &

SPIRITVS - SANCTI.

Amen.



SERMO